



**Miracvla Quæ Ad Invocationem Beatiss. Virginis Mariae,
Apvd Tvngros, Camberones, Et Servios In Hannonia; ac
Dominam Gaudiorum in Picardia vulgò Nostre Dame de
Liesse dictam effulsere**

Caoult, Walrand

Coloniae Agrippinae, 1607

Ad eiusdem inuocationem mulier sterilis concipit partique prolem, & proles
emortuareuocatur ad vitam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59700)

ulterius ab hominibus minimè conspicien-
dum: dicta verò domina B. Virginis interuen-
tu vitam sortita est incolumem.

*AD EIVSDEM INVOCATIONEM
mulier sterilis concepit paritque prolem,
& proles emortua reuocatur
ad vitam.*

MIRAC. III.

Mercator quidam in Burgundiæ parti-
bus erat, qui nullam ex vxore prolē
susceperat, nec suscipere poterat: ex quo factū
est vt seipsū B. V. Exhilaratrici deuouerit per-
egrinum, & diculam suam visitaturum se pro-
mittens, casu quo precibus eius voti sui com-
pos efficeretur. Voto facto, vxor eius, anno
nundum euoluto, gestauit vterum. Puerperij
autem tempore imminente, vno scilicet mē-
se circiter ante, dictus mercator dictum vo-
tum implere gestiens, ad iter peregrinationis
ergo versus sacram ædem B. Mariæ Exhilara-
tricis se accinxit. Verū latronibus ac prædo-
nibus ex inopinato in ipsum impetum facien-
tibus, eundem in via spoliauerunt, omniaque
ei diripuerunt; ad arborem eum postea alli-
gantes, cui duobus aut tribus diebus fixus ad-
hæsit, à qua tandem per quandam iuencu-
lam liberatus est, pijs à se B. Mariæ Exhilara-
tricis

trici effusis precibus. Interea temporis vxor
eius filium specie formaque decorum enixa
est: sed diebus quindecim post à pueri in hanc
mundum natiuitate, matre balneum, vt se la-
uarer, ingressa, ibidemque ipsa obdormiscen-
te, puer, quem manibus ten- bat, ipsius iacu-
ria inter aquas collapsus est, & exinde aquis
etiam præfocatus. Huiusce lamentabilis eue-
tus, Prætor commonefactus, mortis capita-
lem sententiam in ipsam protulit. Verùm ma-
ritus, soluto peregrinationis voto, ad propria
rediens quarto die à morte pueri, qui iam se-
pultura beneficio terræ visceribus erat demā-
datus: cum subintellexisset contra vxorem su-
am mortis latam esse sententiam, quam & il-
lo ipso tempore executioni mandari conspi-
ciebat, festinus ad Præto-rem transuolauit, di-
xitque ei se vxorem conuentam cupere: quod
& illi permissam est. Cumque ex eadem in-
tellexisset puerum eximie fuisse pulchritudi-
nis, Præto-rem rogauit vt in eius præsentia cō-
spiciendus sisteretur. Quamuis autem, vt di-
ctum est à quatuor nunc diebus inhumatus
foret, adeò nihilominus importunis precibus
apud Præto-rem egit, vt eum è terra effodi ac
in Prætoris præsentia deportari impetraue-
rit. Quo facto (mirabile dictu) pueri corpus
mortuum balsami odorem spirare videba-
tur. Tunc pater videns filium mortuum
adco

ad eò venusta facie esse ac rubicunda, in genua pie corruens ad eò instanter ac sensibili voce B. Mariam Exhilaratricem inuocauit, vt ab omnibus quid diceret intelligeretur. Huiusmodi autem sua fuit oratio, O speciosa Domina, hic puer precum tuarum virtute & meritis nobis donatus est, te humiliter supplico, ostende miraculosam potentiam tuam: firmiter namque credo te hac in re ab vnico filio minimè passuram repulsam. Hisce dictis (ò stupèdum miraculum) nulla interposita mora, puer qui antea iacuerat exanimis, complures voces & suspiria edidit in Prætoris ac totius magistratus præsentia: quod iudicem permouit vt mulierem cum marito suo libertate donaret.

QUIDAM CONTRA LEONVM:
rabiem mirabiliter illæsus conseruatur.

MIRAC. IV.

NOBILIS quidam fuit cuiusdam Comitum nepos, qui duarum meretricum falso relatu & calumnia (quæ ei falso, Virgini stuprum imponebant) ad leones damnatus est, vt inquam, leonum immanitati violenter obtrusus in eorum fovea
lanna